



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De  
Imitatione Christi Libri Quatuor**

**Thomas <von Kempen>**

**Augustæ Vindel., 1772**

Caput XX. De confessione propriæ infirmitatis, & hujus vitæ miseriis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](#)

bilis, & optabilis; nam pati, & ve-  
xari pro te, valde salubre est animæ  
meæ.

### C A P U T   XX.

*De confessione propriæ infirmitatis,  
& hujus vitæ miseriis.*

I. **C**onfitebor adversum me inju-  
sticiam meam: confitebor tibi  
Domine infirmitatem meam.

Sæpe parva res est, quæ me dejicit,  
& contristat.

Propono me fortiter acturum: sed  
cum modica tentatio venerit, magna  
mihi angustia fit.

Valde vilis quandoque res est,  
unde gravis tenatio provenit.

Et dum puto me aliquantulum tu-  
tum, cum non sentio, invenio, me  
nonnunquam pæne devictum ex leví  
flatu.

2. Vide ergo Domine humilitatem  
meam, & fragilitatem tibi undique  
notam.

Miserere, & eripe me de luto, ut non  
infigar, nec permaneam dejectus us-  
quequaque.

L 5

Hoc

Hoc est, quod me frequenter re-verberat, & coram te confundit; quod tam labilis sum, & infirmus ad resistendum passionibus.

Et si non omnino ad consensio-nem, tamen mihi etiam molesta, & gravis est earum infestatio, & ta-det valde sic quodidie vivere in li-

Ex hinc nota mihi fit infirmitas mea: quia multo facilius irruunt abominandæ semper phantasie, quam discedunt.

3. Utinam, fortissime Deus Israel, zelator animarum fidelium, respiciat servi tui laborem, & dolorem, afflitasque illi in omnibus, ad quæcumque perrexerit.

Robora me cœlesti fortitudine, ut vetus homo, misera caro spiritui neodium plene subiecta prævaleat dominari; adversus quam certare oportebit, quamdiu spiratur in hac miserima vita.

Heu qualis est hæc vita, ubi non defun-

desunt tribulationes & miseriæ; ubi  
plena laqueis, & hostibus sunt omnia!

Nam una tribulatione, seu tenta-  
tione recedente, alia accedit: sed  
& priore adhuc durante conflictu,  
alii plures superveniunt, & inspe-  
rate.

4. Et quomodo potest amari vita  
tantas habens amaritudines; tot sub-  
jecta calamitatibus, & miseriis?

Quomodo etiam dicitur vita, tot  
generans mortes, & pestes?

Et tamen amat, & delectari in  
ea a multis quæritur.

Reprehenditur frequenter mun-  
dus, quod fallax sit, & vanus, nec  
tamen facile relinquitur, quia con-  
cupiscentiæ carnis nimis dominantur.

Sed alia trahunt ad amandum, alia  
ad contemnendum.

Trahunt ad amorem mundi deside-  
rium carnis, desiderium oculorum,  
& superbia vitæ: sed poenæ, ac mi-  
seriæ juste ea sequentes odium mun-  
di pariunt, & tedium.

L 6

5. Sed

5. Sed vincit (proh dolor) delectatio prava mentem mundo deditam, & esse sub sensibus delicias reputat: quia Dei suavitatem, & internam virtutis amoenitatem nec vidit, ne gustavit.

Qui autem mundum perfecte contemnunt, & Deo vivere sub sancta disciplina student, isti Divinam dulcedinem, veris abrenunciatoribus promissam non ignorant: & quam graviter mundus errat, & varie fallitur, clarius vident.

### C A P U T X X I .

*Quod in Deo super omnia bona, & dona requiescendum est.*

1. Super omnia, & in omnibus, requiesces anima mea in Dominio semper, quia ipse est Sanctorum æterna requies.

Da mihi, dulcissime, & amantisime Jesu, in te super omnem creaturam requiescere; super omnem salutem & pulchritudinem; super om-

nem